



S

E

SS
OF
AU

DI

L



I. N. 3.

DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE

SYMBIBASMO BIBLICO,

EX

Actuum Apostolicorum

IX. cap. com. 22.

QUAM

SUB PRÆSIDIO

VIRI MAGNIFICI ET SUMME REVERENDI

**DN. JOHANNIS HENRICI
FEVSTKINGII,**

SS. THEOL. DOCTORIS, EJUSDEMQUE P.P.
ORDINARIJ, CONSISTORII SACRI ASSESSORIS,
AUGUSTISSIMÆ ELECT. SAX. CONCIONATORIS AULICI
ET SERENISSIMI DUCIS SAXO-GOTHANI
CONSILIARIJ ECCLESIASTICI,

*DN. PATRONI, HOSPITIS ET PROMOTORIS SUI,
ÆTATEM COLENDI, DEVENERANDI,*

TUEBITUR

AUTOR

LUDOVICUS HENRICI

Darmstadio - Hassus.

AD DIEM X. FEBRUARIJ ANNI MDCC XII.

VITEMBERGÆ, LITERIS GERDESIANIS.

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE

SYMBIBASMO
BIBLICO

AGRIUM APOSTOLICUM



05 H 695



PRÆFATIO.



Acrarum literarum scrutinium, diverso a diversis, scopo, pertractari, a nostratibus dudum est evictum, & idoneis oppido exemplis commonstratum. Etenim, non omnes bonum intendentes finem, ad DEI gloriam respiciunt; nec arduum hoc interpretationis biblicæ studium, eo, uti par erat, modo, suscipiunt & pertractant: sed diviniore has pandectas ad suos conceptus nimis licenter torquent, vel adjectionibus & detractionibus invertunt, vel non integras recipiunt, vel lectionibus diversis lectores in diversa rapiunt, & tenerioribus conscientiis perpetuam fluctuationem instillant, vel easdem ita evolvunt, ut, quantum in ipsis est, Christum ex Prophetis expungant. Alia proinde ratione, legendæ & evolvendæ sunt, ut veritatem doctrinæ cœlestis ex illis discamus, ut in ea magis solidemur, ac contra doctrinæ, & S. Scripturæ corruptelas communiatur.

Optimum vero munimen-
tum

tum est, si Scripturam ex Scriptura explicemus, omniaque Prophetarum & Apostolorum fundamento superstruamus, & quod scribimus, dictamus, & profitemur, divinissimis sermonibus coaptemus, & in iis omnia fundata esse, idoneis rationibus evincamus. *Nulla enim melior, uti recte scribunt Theologi WÜRTEMBERGICI, ad Jeremiam, Patriarcham Constantinopolitanum, interpretandi scripturas, ratio inveniri potest, quam si scriptura per scripturam, hoc est, per se ipsam, explicetur. Tota enim per unum eundemque Spiritum est dictata. Is suam ipsius mentem rectissime intelligit, & quid voluerit, omnium optime explicare potest. Sed & hoc in civilibus negotiis fieri consuevit. Exempli gratia: Si quæ incidat inter hæredes disceptatio super tabulis testamenti, quas alii aliter interpretentur: profecto, non queruntur aliunde novæ tabulæ, sed illæ ipsæ, de quarum sententia disceptatur, diligenter evolvuntur, & singula inter se conferuntur, donec ex MULTIS INTER SE COLLATIS DICTIS (sæpe etiam ex solo orationis contextu) mens testatoris deprehenditur. Si enim ille fuerat vir bonus, & sapiens, certe noluit contraria scribere, quibus hæredes inter se committeret. Idem etiam in Scripturæ S. interpretatione faciendum, (quæ optimum artificem Spiritum S. habet) ut loca inter se conferamus, & ex contextu veram sententiam eliciamus. Et talis collatio & confirmatio, divo gentium Doctori, notabili voce, dicitur συβιβάζειν, Act. IX, 22. dogmata sua alicui fundamento coagmentare, unum dogma cum altero conjungere, & ex altero, per bonam, pronam, & legitimam consecutionem, inferre. Scriptura enim, uti notum est, semet ipsam explicat, partim disertis verbis, partim legitimis, aptisque mediis hermeneuticis, quando scopum, antecedentia, & consequentia, locos parallelos, analogiam fidei nobis suppeditat,*
quæ

quæ Scripturis sunt insita, licet usus forinsecus accedat. Istiusmodi studium COAGMENTANDI & CONCILIANDI Scripturam cum Scriptura, Spiritus S. voce appellatur SYMBIBASMUS, qui contra hæreticorum strophas & sophismata ingentem habet usum. Pontificii, inprimis Jacobus *Gonterius*, *Perronius*, & qui horum inventa, tanquam ancilia cœlitus delapsa, æstimavit *Franciscus Veronius*, novas excogitarunt rationes, de religione nobiscum disputandi. Ut enim desperatam suam causam aliquo modo fulciant, exornent, atque pingant, hoc volunt, atque omni modo contendunt: Evangelicis, de rebus fidei differentibus, ita respondendum esse: nimirum, incumbere iis, ut nullis consequentiis, quantumvis idoneis, disputent; sed, ut dogmata sua, Romanæ Ecclesiæ adversa, totidem disertis verbis & syllabis ex Scripturis prælegant. Ita nostrum esse ajunt, ut expressis verbis, ex sacris literis ipsis commonstremus, Papam esse Anti-Christum, non dari purgatorium, Religionem Papisticam esse erroneam, canonizationes Sanctorum esse prohibitas. Hæc & infinita alia, si totidem verbis ex diviniore Codice possint prælegi, tum demum, inferunt, rem nostram esse salvam: sin minus, nobis non esse credendum, si vel consequentiarum multa millia afferantur. Atque hæc illa methodus Veroniana est, sive expedita disputandi ratio, Pontificiis tantopere collaudata, ut hujus beneficio, quivis Catholicorum, etfi disciplinarum Theologicarum ignarus, omnes fidei novatores efficere possit elingues. Sed enim vero, talis differendi modus, musteus est, & absurdorum absurdissimus, qui vel unica Symbibasmi voce refutatur, & ad auctores suos remittitur

tur. Nam si Veronianæ methodo inhærere voluissent Judæi, nostro loco, quo pacto ad agnitionem Christi, in quo æterna sita est salus; pervenissent? dicant enim mihi, si quidem tales appareant, perspicaces Pontificii, ubinam totidem verbis, syllabis & literis in sacris Scripturis legatur: Jesum Nazarenum esse Messiam? Dicant mihi, cum omnes Prophetæ testentur de Christo *Act. X, 43.* quo capite Jonas Propheeta de Christo *ναὐτὰ τὸ πῆλὸν* testetur. Ipsi Sadducæi, conclusionem de resurrectione mortuorum ignorantes, ignorantia ipsius Sacræ Scripturæ accusantur, *Matth. XXII, 29. seqq.* cum tamen de resurrectione mortuorum in isto loco quoad literas & syllabas non agatur. Argumentis concludendo, & coagmentando, hoc demonstrandum est, id quod etiam insigni cum Judæorum emolumento Paulus *συμβουλίῳ* comprobavit. Quæ cum ita comparata sint, materia hæc non paucis digna visa est, quæ abs me elaboraretur, & in eruditorum conspectu, ante discessum ex hac Academia, sub incudem ventilationis revocetur. Vidi, obsequii gloriam mihi esse relictam. Feci itaque, quod potui, hoc unicum cum AUGUSTINO L. XV. de Trinit. c. ult. precatus: *Domine DEUS! quæcunque dixi de TUO, AGNOScant & TUI; si quæ de meo, & Tu IGNOSCE, & TVI.*

I. N. J.



I. N. F.

§. I.

Symbibasmum Biblicum, divina adjuvante gratia, delineaturus, de vocis etymo eruendo, præter, & ultra necessitatem, non ero sollicitus. Etenim compositam eam esse ex συν, & Βιβασμός, ex ipsis terminis liquet: uti vero a περιάζω fit περιασμός, a σαρκάζω, σαρκασμός, eodem modo συμβιβασμός a συμβιβάζω promanat; quam derivandi rationem, nemo, græce doctus, inficiabitur. Ad ejus igitur significationem nobis erit descendendum.

§. II. Varia autem ab eruditis huic verbo adscribitur significatio, pro variatione contextus, aut rerum, & dogmatum, quæ sunt coagmentanda. Sæpe enim συμβιβάζειν *amicitiam facere, fœdus pangere, ligna contignare, docere, collatis testimoniis aliquid demonstrare, &* nescio quid? significat. Verum, nisi totus fallor, omnes hæ significationes, commodissime sub *conjungendi, copulandique* significatu, latent, eodemque includuntur. Nam, qui amicitiam cum altero contrahit, is certe *conjunctionem* animorum promovet, eandemque artissimam, ut ex duobus, unus fiat animus, quo pacto amicus est tanquam *alter idem*, ut Cicero loquitur; id quod exemplo Jonathanis & Davidis edocemur, de quibus Scriptura testatur: *Anima Jonathanis devinxit se cum Anima Davidis, ut eum Jonatan amaret, tanquam animam suam.* 1. Sam. XIX, 1. Hæc animorum conjunctio erat: Omnium tamen propriissime de fabris lignariis, ædificii partes, adhibitis tignis, aptissime artissimæque

meque cum fundamento compingentibus, coagmentantibus, & conſtruentibus, uſurpatur. Hanc nativam verbi ſignificationem, Auctores, per metaphoram, ſuo deinceps accommodarunt ſcopo. Quemadmodum fecit Tharſenſis, qui, ultima vocis acceptione, allegoricam corporis myſtici membrorumque ſpiritualium ſtructuram erudite non minus ac eleganter expreſſit. *Eph. IV, 16. Col. II, 19.* Συμβιβάζειν cum redditur ab aliis per *docere & inſtruere*, iterum involvit copulandi conjungendique ſignificatum, quo Doct̄or aliquis, ſua animi ſenſa communicat cum diſcipulis, ut illi, quibus alia mens erat, doctrina ſua convincantur, quo idem cum ipſo ſentiant, & ſuas cum ipſius mente conjungant mentes, unumque proloquantur & ſcribant. Eandem etiam ob rationem, συν in συμβιβάζω, ad mentes inſtruedorum pertinere, quibusdam videtur; quando argumenta docentis ita comportantur, & conjunguntur, ut de rei veritate convictos ſe eſſe ſentiant. Relationem igitur denotat Præpoſitio συν docentis, ad eum, qui docetur, qua ambo quaſi inter ſe uniuntur. Hinc paſſim cum accuſativo perſonæ conſtruitur, ut dicatur συμβιβάζειν τινός, qua phraſi actio docentis ſignificari videtur, qua inſtruedum ad ſe allicit, ac perſvadendo, convincendoque ſecum quaſi compingit ac coagmentat, quemadmodum ex mente auctorum, & ſpeciatim LUD. de DIEU refert, pertinacis induſtriæ ſcriptor *Matthæus Polus*, in *Synopf. Crit. ad Act. IX, 22. & 1. Cor. II, 16.* qui poſterior locus, cum ſeptemvirali verſione convenientiam habet. Apud Jeſaiam enim c. XL, 13. 14. ita legimus: Ος συμβιβάζει αὐτόν. Η πρὸς τίνος συνεβέλευσατο, & συνεβίβαſεν αὐτόν; ἢ τίς ἔδειξεν αὐτῷ κτίσιν ἢ ὁδὸν ſυνέſεως τίς ἔδειξεν αὐτῷ; quam in ſententiam ſæpiſſime reperitur apud LXX. ut *Exod. IV, 12. 15. c. XVIII, 16. Lev. X, 11. Deutr. IV, 9. Pf. XXXII, 8. Dan. IX, 22. &c.*

§. III.

§. III. Magis tamen emphatica est hujus verbi expositio, quam Græcarum literarum instauratori felicissimo, GUILIELMO BUDÆO debemus. Ita enim, in aureis Lingvæ Græcæ Commentariis, docet. p. 1417. sq. Συμβιβάζειν, præter amicitiam, foedusque facere, ut & accommodare, &, ad coherentiam adducere, etiam significat, *ex collatione Sacrorum vaticiniorum aliquid docere & probare.* Quod ut evincat, nostrum imprimis ex Actibus Apostolicis adducit oraculum. Idem faciunt Belgæ, observante *Stresone*, in hunc locum, quibus Symbibasmus dicitur *eine Vastmackung*: & συμβιβάζειν, unum dogma cum altero conjungere, & coagmentare, *an de Schriftt vastmacken.* Non obtorto collo huc trahitur Paulina illa ἀπόδειξις πνεύματος ἢ δυνάμεως, *1. Cor. II, 4.* quæ omni demonstratione Geometrica firmior, permagnam in evolvendis Scripturis utilitatem habet. Quemadmodum enim per δυνάμην miracula intelligo, qua voce haud raro illa insignantur *Matth. VII, 22. 1. Cor. XII, 28.* & ex quibus Apostolus validissima pro Doctrina Christi argumenta deprompsit *Ebr. II, 4.* ita, doctissimo *Huetio* præunte, *Demonst. Evang. p. 4.* per *ostensionem Spiritus*, talem fidei apodixin, & solidam demonstrationem subinnuo, quæ fit ex Veteri Instrumento, quippe ex quo Christum esse mundi Servatorem non tantum nostro loco *Act. IX, 22.* sed etiam alibi *Act. XXVI, 22. XXIX, 23.* probavit noster. Unde discipulus Christi encolpæus ait: *Testimonium JESU est Spiritus Prophetia Apoc. XIX, 10.* atque hoc est illud συμβιβάζειν, quod Apostolus in Actibus allegat, atque literatissimus Budæus ita evolvit, ut ad parallelismum Scripturæ respiciat; qui certe in numerato est habendus, & adversus hostes Sacrarum literarum, ingenti parrhesia, urgendus. Huic explicationi verbi συμβιβάζειν eo lubentius nostrum addimus calculum, quum videamus (1.) eam in lingua originali

B

esse

esse quam maxime fundatam, (2.) cum antecedentibus, & consequentibus belle conspirare. (3.) ex locis parallelis ad oculum posse demonstrari (4.) cum analogia fidei quam maxime convenire. (5.) Scopo totius scripturæ generali non contrariari. Quæ cum adsint rationum pondera, non video, quid obstet, quo minus hanc omnibus aliis expositionibus præferamus. Nostrium vero est, singula considerare, & quid in recessu habeant, accurate evolvere & explicare.

§. IV. Ac primo quidem hanc nostram expositionem in *Originali lingua* quam maxime esse fundatam, ex supra jam allatis sufficienter potest intelligi. Nam, *συμβίβαζεν* propriissime denotat aptam arctissimamque connexionem, qua fabri lignarii v. gr. ædificium extruentes ligna trabesque ita ordinant, apteque juxta leges artis disponunt ac inter se connectunt, ut fundamento firmissime annexæ, nullo prorsus tempore sponte sua dissolvantur. Verum hæc crassa verbi acceptio per metaphoram deinde ad rerum immateriarum connexionem, non solum trahitur, sed & ab auctoribus sacris pariter & profanis nostram in sententiam adhibetur: Manifesto indicio, vocabuli nostri usum, analogiæ linguæ græcæ necquicquam contrariari.

§. V. Ex *antecedentibus & consequentibus*, quæ per magnam in explicandis scripturis habent auctoritatem, idem demonstrari potest. Saulus enim, dum urget gladiis sanctos, fidei suscipit jugum, &, qui erat vas blasphemiæ, contumeliæ & iræ, factus est vas honoris, vas electionis & gratiæ. Hunc enim Damascum proficiscentem, sceleris stipatum sociis, *Act. IX, 7.* fulminis voce alloquebatur Salvator: *Saule Saule quid me persequeris? v. 4.* qua voce, quo loco habeat fidelium pericula & infestationes, clarissime demonstrat. *Membris enim adhuc positis in terra*, ut HIPPONENSIIUM DOCTOR, libro mox citando, ait, *caput clamabat in caelis,*

cælis; sed non dicebat: quid persequeris fideles meos, sed quid me persequeris. Longe est supra omnes cælos, sed pedes habet in terra. Caput in cælo, corpus in terra est. Cum autem pedes ejus flagellarentur, & calcarentur a Saulo, clamavit caput: Saule, Saule! Humi prostratus, tremens pavensque, quid responderet, non habuit præterquam: *Quis es Domine? vers. 5.* O sagittam acutam, cum Augustino in Pf. XLIV. f. m. 331. exclamamus, qua accepta, cecidit SAULUS ut esset PAULUS. Blasphemabat Saulus Christum, erectus erat, supplicabat Christo, cecidit. Occisus est inimicus Christi, ut vivat discipulus Christi, de cælo emissa est sagitta, quid DOMINUM persequeris? Quo audito, quod Jesus sit, quem persequeretur, repentina omniumque maxima sequebatur Metamorphosis. Qui antea Christo obediens, absque fine, modoque, persecutus erat, nunc Christo, se per omnia velle obedire sanctissime spondet, ejusque mandata expetit; Sicque ex inimico amicus, ex hoste, socius evadit. Lupus mutatur in ovem, ramus in vitem, sicarius in Apostolum, blasphemus in sanctum, persecutor in pastorem, pirata in Ecclesiæ gubernatorem, & ut uno verbo dicam, Saulus in Paulum. Hic igitur humilis factus Christo humiliter obediens, urbem ingreditur Damascenam, expectaturus quid secum fieri Christus vellet. Qui gratiose prospiciens electo suo instrumento, Ananiam mittit, ut impositione manuum, ejus oculos aperiat, Spiritumque sanctum impertiat. Ananias morem, ut par erat, gerens, Paulum baptizat, ciboque recreat. Corpore igitur animoque corroboratus Paulus, cum Christi discipulis, Damasci aliquandiu amice degens, Synagogas ingressus, Christum esse filium Dei, obstupescens cunctis collatis convasatisque S. Scriptura Testimoniis demonstravit. Neque hoc difficile erat viro, a Spiritu S. gratiose illuminato,

nato, & ab unguiculis, in lege diligentè informato, adque pedes Gamalielis nullo non tempore sedenti, dicta, quam maxime apposita, & ab instituto non aliena, ex Lege afferre, iisdemque contradicentes, convincere. Frequentatum enim est Apostolo, ut theses suas v. gr. de divinitate, resurrectione, & regimine Christi &c. idoneis Scripturarum verbis & virorum Θεοπνεύτων testimoniis confirmet, iisdemque *δυσνόητα* divini Codicis loca illustret & explicet. Exemplo sit Antiochena illa cum Judæis disputatio *Act. XIII. a. vers. 17. ad 42.* ubi nullum citra adjectionem idoneæ probationis ex S. Scriptura, dogma proponit: *Deus Davidis ex semine ejus eduxit Israëli Salvatorem secundum promissionem factam: Hoc testificatus est Johannes: hunc resuscitavit DEUS sicut scriptum est: in Psalmo secundo scriptum est: iterum dixit: rursus dixit.* & quæ sequuntur. Quamquam talis formula allegationis non semper adhibeatur, sed uti mox dicitur, haud raro subintelligatur. Conf. *Rom. IX, 7. Gen. XXI, 12.* Eadem ratione apud Thessalonicenses *Synagogam ingressus per tria Sabbatha disseruit cum Judæis, EX SCRIPTURIS explicans, & ob oculos ponens, oportuisse Christum pati & resurgere ex mortuis, ET HUNC JESUM ESSE CHRISTUM ILLUM, Act. XVII, 2. 3. c. XVIII, 28.* Hinc videmus: ex hoc Symbibasmo fluere nobilissimam illam Apostoli phrasin: hoc vel illud factum est *secundum scripturas 1. Cor. XV, 3. 4.* ut intelligamus coagmentationem niti debere indubitatis divinarum literarum testimoniis, quemadmodum loco allegato docet, & erudito Symbibasmo demonstrat, articulum resurrectionis Dominicæ, non minus atque mortis antegressæ, fuisse Prophetarum Oraculis pronunciatum, veluti *Psal. XVI, 10.* & alibi. Pari ratione verba Mosaica, *Gen. XV, 6.* idem Apostolus hunc in modum explicat & allegat, ut

Rom.

Rom. IV, 13. Abrahamum fide illa absque operibus iustificatum pronuntiet, quod certe est *συμβιβάζειν*, collatis Scripturæ Testimoniis aliquid affirmare, docere & probare, in quo artificem fuisse Paulum satis est evictum. Ne quid dicam de Christo, qui collatione scripturarum, adeoque adhibito Symbibasmio Biblico, Diabolum *Matth. IV.* debellavit, eleganterque ostendit, ingentem imposturam esse, sine consideratione antecedentium & consequentium, excerpere e textu, quod quis instituto suo subservire putat: quo pacto hæretici sacras citare literas solent. Id quod & Pharisæorum & Sadducæorum exemplo edocemur. Hi enim Symbibasmum instituebant, *Matth. XXII, 24. Marc. XII, 19. Luc. XX, 28.* allegantes contra Christum Deuteronomii caput *XXV, 5.* sed male colligebant. Illi autem *Job. XII, 34.* ex *Psal. CX, 4.* affirmabant: *audivimus ex lege quod Christus maneat in aeternum*, quæ tamen verba subdole applicabant. Cæterum non inusitatum Christo hunc Symbibasmum fuisse evincunt loca *Matth. IX, 13. Sc. XII, 3. 4. 5. 7. 41. 42. XXIV, 38. Marci II, 25. 26. Luc. XXIV, 27. Job. III.* per tot. cap. *Job. V, 46. 47. VI, 45. Sc. Sc.* Idem etiam de Paulo ulterius probari poterit ex *Act. X, 24. 25. 29. XIV, 1. XVII, 2. 3. 17. 18. XVIII, 4. 19. Sc. XIX, 9. Sc.* ut taceam exempla plurima in singulis ejus Epistolarum paginis crebrius occurrentia e. gr. *Rom. III. Sc. IV. Ebr. XI. Sc. Sc.* Hoc saltem addendum est, ipsum Lutherum collationis Biblicæ admiratorem & Doctorem fuisse. Quoties enim in arenam cum adversariis suis descendit, Symbibasmus Apostolicus ceu murus aheneus ipsi fuit, quo juratissimos Ecclesiæ hostes abegit, eorumque argumenta uno halitu contrivit. Cujus rei illustre specimen edidit in Disputatione Ecciana, Lipsiæ quondam instituta. Cum enim Eccius, Pontificis Romani emissarius, hujus primatum ex Scripturis evincere satageret & ad illud *Mat-*

ibai c. XVI, 18. pro defendenda morbida sua causa provocaret; Lutherus facto Symbibasmo locum allegatum ex idoneis sedibus enodavit *1. Cor. III, 11. 1. Petr. II, 6. 7. Ephef. II, 20.* atque hoc ipso Victor & Triumphator discessit. Taceo alia fidei certamina in quibus Symbibasmus instar galeæ fuit qua contradicentium tela excepta sunt & fortiter retusa.

§. VI. Tertio etiam ex *locis parallelis* constat verbum *συμβιβάζειν*, quoties in disputatione cum adversario vel collatione de rebus credendis & faciendis usurpatur, significare adductionem argumentorum positivorum ad probandam thesin aptorum, uti quodammodo jam §. 2. præoccupavimus. Eo ipso enim dum *docere* significabat etiam modum docendi, qui positivus esse debet, includit. Hocque potissimum apparet ex *Dan. IX, 22.* ubi angelus ad Danielelem loquens, *ὦν ἐξῆλθον συμβιβάζσαι σε* inquit, quod Chaldaeus illic circum loquitur *עתה יצאתי להשכילך בינה* nunc extui ad faciendum intelligere te intelligentiam; hoc sensu nunc extui ut explicem & exponam tibi (methodo positiva & assertiva) *visionem* hanc &c. quam quoque in sententiam, de instructione in veritate, per modum demonstrativum, *Exod. IV, 12. 15. XVIII, 16. Lev. X, 11. Deutr. IV, 9. Ps. XXXII, 8. 1. Cor. II, 16.* & passim occurrit, idemque valet ac HEBRÆORUM *הוריע* *Jes. XL, 13. הבין* *Jes. XL, 14. השכיל* *Dan. IX, 22. הורה* *Exod. IV, 12. 15.* GRÆCORUMQUE *ἀναγνωρίζειν, γνωρίζειν, ἐπιδεικνύσθαι, δεικνύσθαι, παρδεικνύσθαι, δηλέν, διάδηλον ποιέιν, διαμαρτύρεσθαι, ἐμφανίζειν, Φατίζειν, ἐξηγεῖσθαι* &c. Et LATINORUM Cognitum perspectumque facere, ostendere, demonstrare, manifestare liquidum facere testificari & ob oculos ponere, quæ omnia ipso tono positivam & assertivam, raro destructivam involvere significationem nemo non videt. Ipsa methodus & modus

modus docendi Paulinus, hæc verba perquam egregie illustrat. Apostolus enim (1.) generaliter & didascalice Christum prædicavit, id est dogmata de Christo exposuit & enarravit. qualia erant (a) Messiam in V. T. esse promissum, non esse nudum hominem, sed verum DEI filium. Noverant enim Judæi Messiam aliquem venturum, sed imaginabantur sibi eum fore Regem terræ, purum hominem instar Davidis & Salomonis. (b) Jesum Nazarenum esse hunc Messiam. Expectabant Judæi Messiam, sed non credebant hunc esse illum Messiam, sed habebant illum pro impostore quem ideo crucifixerunt, & e medio sustulerunt (2.) specialiter & elenchtice dogmata de Christo enarrata contra Judæos confirmat. Non enim sufficit in Theologia Biblica, ut dogmata Christianorum sciamus, sed etiam requiritur, ut in iis simus firmi, fundati, radicati, ne *munimento fidei excidamus*, nec *omni vento doctrine circumferamur* 2. Petr. III, 17. Eph. IV, 14. quæ firmatio fit illo, quem pertractamus Symbibasmō, qui huc dum nihil aliud denotabit quam modum adducendi & conferendi argumenta idonea undecunque petita, aut positiva ut plurimum, & ad roborandam thesin apta nata. Quæ tamen argumenta thetica, ita comparata sunt, ut simul antithetica sint & fundamenta in se contineant refellendi Adversarios. Sic convictionem & confirmationem sententiæ in mente conceptæ per argumenta positiva denotare videmus *Act. XVI, 10.* Paulus enim commonefactus in somnio, proficiscendum sibi esse Macedoniam, collatis argumentis colligebat, quod advocasset eum Dominus, ut ibi Evangelium prædicaret; non enim est, ut cum Erasmo aliisque, contra fidem exemplorum codicumque omnium pro *συμβιβάζοντες* legamus *συμβιβάζοντες*, cum activa significatio non solum genuina sit, sed & majore emphasi gaudere videatur, ipsi enim *collatis argu-*
gumen-

gumentis colligebant hanc admonitionem esse mere divinam & a DEO oriundam. Non enim obstat, quod significatio & sensus unus foret, sive *συμβιβάζοντες* active seu *συμβιβάζετε* passive legas; quum partim temere & prater omnium gravissimam causam nihil sit mutandum in sacro codice, ne apex quidem, partim quod activa vox ipsum modum & methodum qua divinitatem hujus admonitionis discebant aperitius doceat. Huc etiam quadrat locus oppido memorabilis *Luc. II, 19.* Ἦδε Μαριὰμ πάντα συνέηρει τὰ ῥήματα ταῦτα, συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς. *cujus verbum συμβάλλουσα in Expositione hujus capituli, quae Tito Bostrensi tribuitur, redditur per συμβιβάζουσα. Συνέηρει πάντα, inquit, ἡ ἁγία Θεολόγος, ὅσα τε εἰρήκει αὐτῇ ὁ ἄγγελος, ὅσα τε οἱ ποιμένες εἶπον, συμβιβάζουσα ἐν τῇ ἐαυτῆς καρδίᾳ, τῆς τε τῆτο ἐκείνο συγκρίνουσα ἐμῆνο τῆτο. retinemus scriptionem τῆτο & ἐκείνο prout extat, licet rectius legatur συγκρίνουσα τῆτο ἐκείνω, & ἐκείνο τῆτω. Conseruabat sancta Deipara omnia, tam ea, quae Angelus ei dixerat, quam ea, quae pastores dixerant: conferens in corde suo, id est hoc cum illo, & illud rursus cum illo.* Hicque Symbibasimus, quum non uno gaudere possit principio, latius patet, quam ille, quem nobis explicandum sumimus; quum hic non nisi unicum agnoscat principium, nimirum Verbum DEI scriptum. Hinc apparet, quam ob causam in titulo adjecerimus BIBLICUS: docentes quippe, nos non rationis vel rationalem Symbibasimum, nec Enthusiasticum, sed scripturarium, sacrum DEI verbum unice pro principio agnoscentem, sequi. Sed mirabitur forte aliquis, cur hoc fecerimus, quum in dicto nostro nulla expressa ejus mentio fiat; adeoque probabile sit, Lucam hoc vocabulo Symbibasimum generalem, seu collationem argumentorum positivorum, undecunque etiam oriundorum, delineare voluisse. Ast respon-

respondemus: Aliter postulat parallelismus realis. Quum non solum videamus, Paulum, in probandis quibuscunque dogmatibus unice ferme recurrere ad sacras scripturas; sed & præsertim in adstruendo, probandoque dogmate fundamentali & palmario: *Jesum scilicet esse Christum*, tantum scripturas consuluisse, id quod in terminis legitur *Act. XVIII*, ult. *ἐπιδεικνύς διὰ τῶν γραφῶν εἶναι τὸν χριστὸν Ἰησοῦν.* *Ostendens, per scripturas, Jesum esse Christum illum.* Quemadmodum etiam capite præcedente *vers. 2.3.* cum *Judeis disseruerat*, ex scripturis explicans, singulisque ob oculos ponens: oportuisse Christum pati & resurgere ex mortuis, & hunc Jesum esse Christum illum, quod pariter fecit *Act. XIII*, 23. *sqq.* c. *XXVI*, 22. 23. Hinc non tantum hoc loco, sed passim gloriatur, se nihil prædicare præter id, quod Scriptum est. *Conf. Rom. I*, 2. *Act. XXVI*, 22. & c.

§. VII. Quam maxime etiam cum fidei convenit *Analogia* nostra loci hujus explicatio. Aliunde enim probare, Judæisque inculcare fidei palmarium articulum non poterat Divus Gentium Doctor, quam ex purissimo, limpidissimoque Israelis fonte, verboque DEI revelato. Non enim illam in tertium cælum abreptionem, ubi ineffabilia verba audivit *2. Cor. XII*, 4. pro principio, ut poneret, necessum habuit, firmiorem enim propheticum habebat sermonem, ad persuadendum, fidemque ingenerandam aptiorem *2. Petr. I*, 19. ut scilicet ostenderet: *Jesum esse Christum.* Quem certe fidei articulum, prope dixerim, unice sufficere ad salutem: Quum videam Philippum, hac ab Eunuchio audita confessione: Credo, τὸν υἱὸν τῆς Θεᾶς εἶναι τὸν Ἰησοῦν χριστὸν, non dubitasse sanctum baptisma eidem impertiri, proque vere regenito agnoscere. Modo non capiatur incomplete, verum complete, sensuque latiore: qua ratione nos non feriet instantia de Nicodemo *Job. III.* cui non suffecisse

fecisse ad salutem legamus nosse Jesum venisse a DEO, sed & articulum de regeneratione ex aqua & spiritu necessarium fuisse ad salutem. Præterquam enim, quod nondum largiamur, Nicodemi de Christo conceptum fuisse adæquatum, ut scilicet eum intellexerit divinam humanamque naturam, inseparabiliter nexam, in una persona subsistere, deque officio ejus Prophetico Sacerdotali & Regio distinctum habuisse conceptum, quod ex hac phrasi, eum venisse ἀπὸ Θεῶν probatu erit difficillimum; dicimus porro, multo plura hac in phrasi: *Jesum esse Christum* latere & commode articulum de renovatione huc referri posse. Notitia enim Jesum esse Christum, præsupponit etiam nosse Spiritum Sanctum ab eo & Patre ineffabili modo ab æterno procedere, huncque Spiritum Sanctum verbo suo inseparabiliter junctum in mundum missum esse ad vocandum, ad regenerandum, ad convertendum, ad justificandum, ad sanctificandum omnes homines: hocque sensu latisimo & complexo unicus recte dici poterit articulus ad salutem necessarius: Sensu vero strictiore & incomplexo, prouti scilicet in nostris compendiis & enchiridiis continetur, negamus. Nostro hoc loco, sensum inclusivum intelligimus; Paulum nempe Judæis ex Scripturis inculcasse omnes ad salutem necessarios fidei articulos, nullumque dogma fundamentale, sicco quod ajunt pede præteriisse. Atque omnia hæc fecit, ope SYMBIBASMI BIBLICI; qui certe permagnam habet utilitatem. Inprimisque hoc præstat, ne in fraudem inducamur per versatiam hominum, qua nos adoriuntur, *Eph. IV, 14*. Hinc est, quod felicissimus ævi sui exegeta, *D. Ægidius Hunnius* in Thesauro Evangelico a *Venerando Domino PRÆSIDE* edito, multisque accessionibus locupletato, f. 42. intrepide asserat, & idoneis exemplis confirmet, imposturam Pseudo-prophetarum, qua in Scripturarum allegationibus utuntur,

ive-

evitari posse; si scripturæ instituatür collatio vel scriptura per scripturam explicetur, quemadmodum Christus locum *Pf. XCI.* per prophetica m Mosis planum & expeditum reddit *Matth. IV.* dicens: *rursus scriptum est non tentabis Dominum tuum.* Nam, considerando scopum Spiritus sancti evolvitur vera & genuina sacrarum literarum sententia, ponderando item præcedentia & sequentia, totumque adeo contextum diligenter examinando, atque imprimis explicationem Scripturæ exigendo ad amussim illam Apostoli, quæ vult ut omnis prophetia sit fidei conformis. *Rom. XII, 6.*

§. VIII. Restat ut de scopo totius scripturæ generali pauca adjiciamus. Quis vero sit hic ipse scopus, edocet nos Johannes *c. XX, 31.* dicens: *Hæc scripta sunt, ut credamus, Jesum esse Christum illum filium DEI, & ut credentes, vitam habeamus per nomen ejus.* Quo certo oraculo, nihil magis perspicuum esse poterat. Fidei objectum constituitur Christus æterni Patris filius æternus \omicron $\text{I} \eta \sigma \omega \upsilon \varsigma \text{ } \epsilon \varsigma \text{I} \nu \text{ } \omicron$ $\chi \rho \iota \sigma \tau \omicron \varsigma \text{ } \omicron$ $\nu \iota \delta \varsigma \text{ } \tau \tilde{\epsilon} \text{ } \Theta \epsilon \tilde{\varsigma}$. Non sine Emphasi iteratur articulus præpositivus \omicron $\chi \rho \iota \sigma \tau \omicron \varsigma \text{ } \omicron$ $\nu \iota \delta \varsigma$, qua repetitione, singularissima, eaque æterna Christi filiatio, describitur, unde & Syrus paraphrastes habet: *Ille Messias*: ille nimirum de quo vaticinati sunt Moses, Propheta, qui finis legis est *Rom. X, 4.* nucleus Evangelii, & centrum totius Scripturæ, quæ paraphrastica explicandi ratio pro fundamento habet Biblicum Symbibasium. Oraculum proinde Johanneum quoad rem, cum nostro loco plane coincidit, uberio rem itaque explicationem & applicationem adjicere supersedemus. Scriptam enim esse scripturam S. diserte ait ut collatis testimoniis edocti, & intra nos convicti, firmissime credamus *Jesum esse Christum* perque nomen ejus salutem consequamur æternam. Id saltem evolvendum erit, utrum Johannes hoc loco fundamentum suæ scriptionis faciat totam scripturam Veteris Te-

stamenti, quippe quam sæpius allegat & tandem non minus de suo Evangelio quam scriptura ista Vet. Test. concludit: *ταῦτα γέγραπται*. Pontificii volunt, & omnibus quibus possunt rationibus defendunt Johannem his verbis non respicere ad totam sacram scripturam, quæ Principium est omnis Symbibasmi; sed saltem ad miracula, quibus fides resurrectionis Christi excitatur. At enim vero, reclamatur *συνάφεια* textus. Agitur enim hic de fide salvifica, cujus beneficio vitam æternam habemus; si igitur pauca miracula, à Christo perpetrata fidem salvificam in nobis generant & accendunt, multo magis id præstabit tota S. Scriptura, quam veluti normam & cynosuram respicit Symbibasmus, ejusque Centrum: *Jesus est Christus*, circa cujus articuli probationem & confirmationem occupata erat industria Paulina & Johannea. vid. B. Seb. Schmidii *Coll. Bibl. N. T. ad b. l.*

§. IX. Ex quibus adeo intelligimus in Symbibasmo rite & idonee instituendo respiciendum esse (i.) ad SCRIPTURAM, quippe ex qua omnia, quæ ad coagmentationem pertinent, sunt derivanda, & suo quæque loco digerenda. Quæ causa est, quod cum *generaliter* ad scripturam *Job. VII, 38. Gal. IV, 30. Rom. I, 2.* tum *specialiter* ad librum Legis *Luc. II, 23.* ad Legem Mosis *1. Cor. IX, 9.* ad volumen Psalmorum *Act. I, 20.* & scripta Prophetarum *Act. VII, 42. Matth. XIII, 14.* circa praxin Symbibasmi a Christo & Apostolis fuerit provocatum. Neque vero opus est, ut expressis verbis scriptura nominetur, aut pervulgata illa formula: *εἶπεν ἢ γραφὴ, sive γέγραπται ἐν τῇ βίβλῳ* adhibeatur, sed sufficit si nihil aut præter, aut contra scripturam, afferatur, aut istiusmodi dicendi ratio usurpetur, quæ scripturam insinuat aut ejus auctorem p. incipalem inculcat adeoque collationem sacrarum literarum testimoniis fieri, saltem adumbrat. Hoc edo-

edocemur exemplo Christi, qui contentus erat verbo le-
 gendi *Matth. XII, 3. Matth. XIX, 4.* & discendi *Matth. IX,*
13. c. XII, 7. Paulus vero & Barnabas, dum sua ex *Jesaja*
XLIX, 8. conferunt, auctorem saltem nominant & illud *αὐ-*
τὸς ἐφα usurpant, dicentes: nobis præcepit Dominus
2. Cor. VI, 2. Alio loco idem gentium Doctor non scriptu-
 ram ipsam, sed rem in scriptura contentam, veluti obje-
 ctum Symbibasmis, per profopoeiam loquentem sæpe in-
 trodicit, & auditoribus suis inculcat, quemadmodum *Rom.*
X, 6. de ipsa justitia ait, quod loquatur, cum tamen non
 justitia proprie sed Moses de justitia concionetur *vers. 5.*
 Similis Phraseologia oppido memorabilis *Hebr. XII, 5.* oc-
 currit, ubi de consolatione dicitur, quod filios alloquatur:
 Quæ locutio opponenda est Pontificiis, qui scripturam ne-
 gant, posse esse judicem, cum sit muta nec proferat inter
 partes disidentes sententiam. (2.) circa Symbibasmum re-
 spiciendum est ad *INTENTIONEM scriptorum & CAUSARUM*
Ministerialium. Ita Apostolus (uti Johannes Major, agens
 de allegatione dictorum V. T. in N. T. ex Julio pererudite
 commemorat) reticet Davidis nomen *Hebr. II, 6.* non eo
 consilio, ut nomen Davidis fugiat, aut Psalmum ab eo
 scriptum fuisse neget, sed potius ut eo demonstrat, se nol-
 le supersticiosius hære in vocibus & syllabis, cum satis esse
 videretur locum indicari, & ea afferri ex hymmo, quæ ad
 scopum & præsentem causam pertinebant. Tandem (3.)
 circa Symbibasmum perpetuo tenenda & custodienda est
 FIDEI ANALOGIA quam *Apostolus* hypotyposin, *Epipha-*
nus anchoratum, *Basiliius* ὀχυρωμα τῶν δογματικῶν *Lu-*
therus perpetuam & constantem scripturæ sententiam, aliï
 catenam fidei, ejusque summam, jure meritoque appella-
 runt. Quæ fidei analogia nostratibus Theologis, nihil aliud
 est, quam Doctrinæ Christianæ ex perspicuis scripturæ sedi-
 bus

bus collectæ, & in quoddam veluti syntagma congestæ, delineatio: ad quam reliquorum locorum interpretationes veluti ad regulam & cynosuram exiguntur, indeque haud raro dijudicantur. Sic DEUM esse justum, sanctum, misericordem, veracem, æternum, credentibus salutem, in credulis damnationem æternam paratam esse; superbos deprimi, humiles extolli; Christum generis humani redemptorem esse, & talia sexcenta ex perpetua & constanti scripturæ sententia dudum profecta sunt, Regulamque fidei, ut vocat *Augustinus* constituunt. Ad hanc igitur interpretationes locorum difficilium normare diligenter & dijudicare oportet. Sæpe nobis hæc loca objectitant Reformati *Exod. IV, 21. X, 27. Deus induravit cor Pharaonis* sed cum analogia fidei de sanctitate DEI reclamet, quam omnes fere S. literarum paginae celebrant, imperat perpetua scripturæ sententia, ut interpretationem quaramus huic analogiæ conformem. Pervolventi autem S. codicem statim se obijciunt loca parallela, in quibus Pharaon ipse dicitur indurasse cor suum: *Et Pharaon aggravavit cor suum* נִדְּהַ אִפְסֵי *Exod. IX, 34. conf. Exod. VII, 13. 14. 22. c. VIII, 15. 19. 32. c. XIII, 15.* Unde Philistæi Idololatræ & Gentiles in absurdis ducebant, DEO aliquam peccati culpam tribui; adeoque illam Pharaonis indurationem DEO minime adscribunt, sed hominibus delinquentibus: *quid indurabitis cor vestrum, quemadmodum indurarunt Ægyptii & Pharaon cor suum. i. Sam. VI, 6.* quinimo perpetua scripturæ sententia est, homines impios indurationis suæ auctores esse. Non enim tantum dicuntur indurare se ipsos *II, cc.* sed & *cor avertere a DEO Deutr. XXIX, 18. dare bumerum refractarium & cervicem indurare Nebem. IX, 29.* hinc audiunt generatio declinans & rebellis *cujus spiritus non est fidelis cum DEO Pf. LXXVIII, 8. qua frontem aeream & nervos ferreos in cervicibus gestat*

stat *Jes. XLVIII, 4.* qua indurat facies suas supra petram, & non vult reverti *Jer. V, 3. conf. vers. 6, 21.* Filii dura facie & indomabili corde *Ezech. II, 4.* attrita fronte & duro corde *c. II, 17.* qui cor suum ponunt ut adamantem ne audiant legem *Zach. VII, 12.* contumaces, & semper Spiritui S. resistentes *Act. VII, 51.* qui secundum duritiam suam & cor impenitens ipsi thesaurizant sibi iram in die judicii *Rom. II, 5.* Ex his omnibus liquet; solidissimam esse Theologorum nostratum distinctionem, qua Pharaonem ajunt ad sui indurationem concurrisse ἐπεργητικῶς & causaliter, DEUM vero non nisi διωκτικῶς & judicialiter: hominem sceleris sui auctorem, DEUM autem Vindicem & ultorem esse; Jam vero Vindex sceleris minime ejusdem causa est. Uti recte concludit B. Neumannus in *Diff. de Parallelismo scripturae.* p. 17. sq.

§. X. Quum vero συμβιβάζειν sit collatis scripturae testimoniis aliquid probare, ultro patet, Symbibasmum Biblicum, quam maxime distinctum esse (1.) a nuda locutionum Biblicarum allegatione. Non enim sequitur: hic vel ille scripturam allegat, ergo ex scriptura aliquod fidei dogma per argumenta positiva adducit, quum nuda allegatio non sit probatio. Sic mater Domini hymnum suum *Luc. I,* ex Veteris Testamenti verbis concinnavit, & apta idoneaque ratione proposuit, sed non eum in finem, ut hanc vel illam fidei thesin ex professo doceret, eamque adductis Scripturae testimoniis directe statuminaret. (2.) ab allusione ad facta & sermones in scripturis occurrentes, v. gr. quae in apocalypsi *c. VI, 16.* de montibus & petris leguntur, ea Veteris Testamenti verba *Jes. II, 19. Hof. X, 8.* respiciunt; Quae de interitu impiorum per ignem *c. XI, 5.* occurrunt, ad Historiam Mosaicam *Num. XVI, 35.* tum etiam ad Prophetiam Jeremiae *c. V, 14.* alludunt, atque omnia hunc in modum pro-

ponuntur, ut satis dispalescat, frequentatum esse sanctis DEI viris ad scripturam V. T. subinde provocare, sed sine Symbibasmo. Suam quidem divinitatem scriptura undique prodit, sed non undiquaque adhibito Symbibasmo articulum fidei proponit, & collatis idoneis argumentis demonstrat. (3.) *a nuda historiarum V. T. recensione* v. gr. Lucas historiam Noachi repetit, Stephanus res gestas Patriarcharum & Moïsis exponit. *Act. VII, 2. sq.* Paulus Magos Ægyptiacos Jannem & Jambrem enarrat, *2. Tim. III, 8.* Sed non ea intentione & scopo, ut quis tuto affirmare possit, factum illud esse ex praxi Symbibasmi Paulini.

§. XI. Porro, nostrum est enodare, hoc loco & pertinaci industria evolvere ac recensere, quo pacto a Christo ejusque amanuensibus divino afflatu percussis Symbibasimus fuerit institutus. Neque enim Paulus primus fuit, qui exa- scitata hac docendi confirmandique ratione contra Judæos est usus, cum & Christus & Evangelistæ & Apostoli eandem adhibuerint & ad elidendas errorum strophas haud raro usurparint. Factum autem illud est pro diversitate scopi, non una sed diversa ratione. Interdum enim in coagm- tatione *mutantur verba sensu retento*, ita quidem ut in loci cujusdam allegatione unum atque alterum vel adjiciatur, ut *Luc. III, 6.* & *Jes. XL, 5.* vel omittatur *vid. Matth. IV, 10.* *Deutr. VI, 13.* vel etiam cum Synonymica voce circumscribatur, aut permutetur, sicut *Matth. XXI, 5.* *Zach. IX, 9.* mansuetus per pauperem redditur, quia pauperes mansueti esse amant. Quæ quidem permutatio eam ob causam fieri solet ut intelligamus, Scripturæ Sacræ Symbibasimum non esse adstrictum ad literas & syllabas: veramque adeo Theologiam Biblicam non in apicibus literarum, sed in vir- tute sensus sitam esse. Interdum in Symbibasmo *generalis doctrina ad specialem materiam applicatur.* Hacque ratione
verba

verba Davidis *Pf. LXIX, 26.* quibus maledictionem & exitium spiritu Prophetico omnibus Messiam affligentibus minatur, Petrus in specie applicat ad Judam proditorem, ejusque exitium *Act. I, 20.* Aliquando etiam dictum speciale, de una re, ad rem similem aliam, in Symbibalismo adhibetur. Sic Jesaia, *c. XXIX, 13.* de auditoribus suis improbis querelam, Christus *Matth. XV, 7.* ad suos transfert, dicens: *Hypocrite! recte de vobis prädixit Jesaías &c.* Sæpius quoque speciale dictum ad generalem materiam transfertur. Sic Petrus locum *Levit. XI, 44. XIX, 2.* de sanctitate ceremoniali agentem, ad sanctitatem moralem piorum restringit, *1. Petr. I, 16.* Interdum sancti *συμβιβαστικοί* dictum allegant ex Veteri Testamento, non de eo, quod immediate docet, sed de eo, quod istud includit, qua ratione Paulus, Christi resurrectionem probaturus, locum ex *Pf. II, 5. tu es filius meus, hodie genui te,* adducit, dicens, illud per resurrectionem esse impletum: quum tamen Psalmus de generatione filii DEI ab aeterno immediate loquatur: quoniam tamen per resurrectionem Filius DEI manifestatus est Christus *Rom. I, 4.* recte ad illam explicandam Paulus *Actor. XIII, 33.* ad locum allatum provocavit. Sæpius etiam dictum Typi e V. T. ad Antitypum in N. T. transfertur; exemplo sit illa typi, agni scilicet paschalis ad antitypum Christum relatio *Job. XIX, 36. Exod. XII.* Sic apud Hoseam *c. XI.* populus Ifrealiticus, qui adoptivus DEI filius erat, typus erat Christi, naturalis DEI filii, cujus accommodatio legitur *Matth. II, 15.* Interdum quoque, quod in V. T. de Corpore, Ecclesia, dictum est; in N. T. ad caput, Christum, applicatur. cujus exemplum locus immediate præcedens esse poterit, egressus nempe filiorum Israelis ex Ægypto ut corporis, typus erat egressus Christi, ut capitis. Hocque Christus

D

ipse

ipse observavit, dum afflictiones Ecclesiæ, tanquam corporis, sibi tribuit, ut capiti, quemadmodum supra ex loco Augustini allato liquet.

§. XII. Sed, quid sentiendum est de eo, quando circa Symbibasum Biblisum, talia Scripturæ testimonia afferuntur, de quibus, unde petita fiat, vel plane non constat, vel, quæ in diviniis etiam pandectis, haudquaquam leguntur? Respondeo, fieri hoc ipsum, ut intelligamus, veram interpretandi rationem in virtute spiritus & sensus fundatam esse, non vero alligatam ad literas & syllabas. Quot, quæso, dogmata ex scripturis allegantur, dextraque illatione concluduntur, & cum scripturis coagmentantur, quæ tamen non totidem verbis in iis leguntur. Hoc nos convincit, vera illa esse, & inspirata, quæ *νοτιὰ τῆν διάνοιαν* ex sacris literis afferuntur. Ipse Apostolus *Ephes. V, 14.* scripturam allegat, sed librum, unde verba petita sunt, non subjungit. Cum vero eruditi moneant, respectum haberi, *ad Jesa. LX, 1.* ultro patet, Apostolum delectari consecutionibus, omniaque in compendium mittere, quæ alibi fusi sunt pertractata. Idem sentiendum est de dicto *Matth. II, 23.* licet enim illud nullibi expressis literis legatur; commodissime tamen statuitur, Evangelistam respicere ad contenta Prophetica *Jesaja XI, 1. Jerem. XXIII, 5.* Appellationibus enim *germinis & floris* locum educationis Christi significari, a Theologis nostratibus jamdudum est evictum.

§. XIII. Supra monitum fuit, & stringentibus argumentis demonstratum, principium Symbibasmi esse scripturam. Hoc loco illud adjiciendum est, Symbibasum fieri debere, ex sedibus, scopo convenientibus, & locis, ad probandum idoneis. Quæ regula, vel eam ob causam observanda est, quum tot, tamque variæ Codicis

cis

cis Sacri editiones hac atate appareant, quæ adjunctis suis locis pseudoparallelis, eundem pungunt, vellicant, & haud raro corrumpunt. Id quod vel solum *Stephani Curcellæi*, hominis Arminiani, Novum Testamentum satis evincit, singulisque ad oculum commonstrat. Scripserat ille, ut Socinianis herbam porrigeret, in quaternione dissertationum contra Marefium: *prærogativam illam, quam sacra litera, ubique tribuant Patri in divinitate, supra Filium & Spiritum S. non permittere, ut dicamus, unam Naturam divinam ita totam esse in Patre, ut similiter tota sit in Filio & tota quoque in Spiritu S.* Has inter prærogativas, sequentes potissimum retulit (1) *quod nomine DEI simpliciter & absolute posito, solus Pater ordinarie in S. Scriptura intelligatur; non Filius, aut Spiritus S. quod Pater a Christo appelletur solus verus DEUS Joh. XVII, 3. non quod filius quoque non sit verus DEUS; absit, ut quisquam id neget, (ait) sed quia non sit summus DEUS ut Pater.* (2) *Quod appellationes Patris & Filii istam subordinationem manifeste ostendant ---- atque ita excellentiore ratione esse Patrem, longeque magis supra filium eminere, quam ullum hominem in terra supra liberos suos; cum hi omnes, nullo excepto, facti fuerint.* (3) *Quod habeat DEUM Patrem supra se, in cuius potestate sit, quemadmodum nos sumus in potestate Christi i. Cor. III, 23. qui sit ejus caput, sicut mulieris caput est vir, & caput Viri Christus, i. Cor. XI, 3. Quod sit DEUS Christi, teste Apostolo Hebr. I, 5. v. Opp. Curcellæi f. 843.* Quid moverit Curcellæum, ut hæc scriberet, exponit PHILIPPUS a LIMBORCH, qui vero sententiam Curcellæi, satis licet manifestam male mitigat, in præfatione, Operibus Curcellæi præfixa, ita scribens: *in Quaternione contra Marefium (Curcellæus) disputavit, quod Patres essentiam divinam, tribus personis, non unitate nume-*

rica, sed specifica communem, prout tres homines Petrus, Paulus, Timotheus, unam specie humanam essentiam communem habent, asseruerint; neuiquam ut ipse impugnaret S. S. Trinitatis dogma, sed ut quorundam temeritati, in quosvis a se dissentientes anathemata, quasi pro tribunali pronuntiantium, frenum injiceret. Sed hæc omnia, quæ ex Operibus Curcellæi hætenus recensui, in Novi sui Testamenti editione itidem occurrunt, nec sine horrore leguntur & observantur. Quæ enim textui subiecit loca, in gravissimis fidei articulis, Socinismum aperte produunt, atque religionem nostram omnibus modis infestant. Provocho ad ocularem inspectionem. Circa articulum de Trinitate, allegat locum Job. X, 30. & c. XVII, 11. 12. quos parallelos facit, ut unitatem non essentia, sed consensus evincat; Circa articulum de Filio DEI, producit locum 1. Job. V, 20. & Job. XVII, 3. quos parallelos fingit, ut non JESUM CHRISTUM, sed solum DEUM Patrem verum ac summum in N. T. DEUM salutari, extorqueat. Circa articulum de Satisfactione, parallela facit Philipp. II, 8. & Matth. XVI, 39. 42. ut satisfactionis veritatem & efficaciam extenuet, eandemque ad nudam obedientiam, sine pretii pro peccatis redemptorii exsolutione, restringat. Hoc vero non est συβιβάζειν, & diviniora dogmata cum S. Scriptura coagmentare, sed scripturam pervertere, & ad deliria sua, hæreticorum more, detorquere.

§. XIV. Ex iis, quæ de Curcelleo enarravi, facile est colligere, quid de tota Socinianorum Theologia sit sentiendum. Nimirum, est illa nihil aliud, quam studium Symbibasmi, coagmentandi, & conciliandi scripturam cum ratione. Scripturam quidem Photiniani magnifice & pompose urgent, citant, allegant, sed eam tamdiu, fidelibus quasi adhibitis, torquent, depravant, corrumpunt, muti-

mutilant, mancant, lacerant & inflectunt, usquedum, sensu genuino depravato, ad sua deliria accedat. Ipse *Smalcus* ait: *Certum est, quicquid rationi contrarium est, id nec in sacris literis extare, nec ex illis colligi posse.* Hoc posito, progreditur ad plerosque fidei articulos negandos, & tamdiu classica scripturæ Oracula pervertit, & suis erroneis interpretationibus conspurcat, donec aliquid proferat, quod cum humana conveniat ratione.

§. XV. De Theologia *Calvinianorum* idem est judicandum. Sicut enim faber lignarius lignum tamdiu scalpit, dedolat, & polit, donec alteri quadret, quo simili *Streso* l. c. utitur: ita Calviniani verba scripturæ tamdiu torquent, donec aliquid scribant & loquantur, quod coagmentari potest humanæ rationi. v. gr. dogma Calvinianorum est: Christi Corpus non esse in hoc mundo præsens; quod ut verum esse probent, ad scripturam, cum qua illud conciliare student, provocant, tandem vero singula cum ratione coagmentant, atque ex *Vedelii* Rationali Theologico pag. 52. inferunt: non esse præsens Christi corpus, in cœna, quia non cadit sub sensum. Quid vero hoc aliud est, quam mysteria fidei ruinoso illi rationis fundamento coaptare? Et quanto rectius *Bernhardus* in Ep. 190. ad Innocentium statuit: *Quid magis contra rationem est, quam rationem ratione conari transcendere, & quid magis contra fidem est, quam credere nolle, quicquid non possit ratio attingere?*

§. XVI. Vident *Romanenses*, non posse dogmata sua ad verbum DEI scriptum coagmentari. Hinc mirum nemini videri debet, quod ad traditiones non scriptas, (quippe *quæ verbum DEI non sunt, seu scri-*
D 3
ptum

ptum dicatur, seu non scriptum quoniam verbo DEI sunt contrarie, prouti recte colligit magni iudicii Theologus B. Hannekenius, cognatus noster, post pia etiam fata summo opere honorandus, in *Sylloge Controvers. thes. X.*) provocent, & in iis praesidium quaerant. Habent versionem vulgatam, permultis erroribus scatentem, sed neque ea satis firmare possunt dogmata sua, unde ad visibilem controversiarum Judicem, Papam Romanum, recurrunt, & in subsidium Symbibasmum vocant. Sunt etiam occupati in coagmentandis suis dogmatibus, cum primitivæ Ecclesiæ Patribus. Sed cum non audiendum sit, quid hic aut ille ex Patribus dicat, sed quid dicat Jesus Christus, qui est ante omnes Patres, ultro patet, hunc Papistarum Symbibasmum, & erroneum plane, tum etiam valde suspectum esse.

§. XVII. Verus itaque Symbibasmus, uti recte monet Strefo, in eo consistit, ut dogmata quæ prædicamus, voceque & scriptis aliis inculcamus, coagmentemus, & firmemus in verbo DEI scripto. Hic enim ille *σηριγμός*, hoc illud fundamentum, est, cui superstructa est fidelium fides. *Ephes. II, 20.* *2. Petr. III, 17.* Hic ille *βεβαιότερος λόγος*, cui attendendum est *2. Petr. I, 19.* Quæcunque dogmata hoc verbo non possunt firmari, non sunt dogmata divina, ad salutem necessaria.

S. D. G.

PRÆ-

PRÆSTANTISSIMO, NOBILISSIMOQUE

DOMINO
RESPONDENTI,

S. P. D.
D. JO. HENR. FEVSTKING.

EX quo Academiam hanc nostram, & in eadem, meas, quas habeo, ædes, frequentare cœpisti, infatiabilem in Te sciendi proficiendique ardorem deprehendi. Insevit enim divinum Numen TIBI animum, ad omnem laborem promptum, quin imo flagrantem. Hinc nihil abs Te neglectum, quod viam ad diviniore literas intelligendas parare TIBI posset. Humanitatis studia non a limine salutasti; linguas, quas oriens amat, duce Celeberrimo DANZIO, in Academia Jenensi, interiori familiaritate reddidisti TIBI amicas. Tum vero, sacram disciplinam, quæ Theologia

gia nobis est, hunc in modum imbibisti, ut non uno argumento intaminatum purioris doctrinae amorem hic comprobaveris. Præsens, quod mihi obtulisti, specimen, TUUM est, proprio Marte abs TE conscriptum, & academico more, in solenni eruditorum panegyri, defensitatum. Mihi certe, hac velitatione TUA, talis apparuisti, qualis esse non tantum aves, sed & probaris. Nihil itaque de TE ominari aut promittere mihi aliud possum, nisi virum, orthodoxam pietatem, si viveris, magno cum ecclesiae emolumento, propugnaturum. Quo nomine valde lætor, Deumque oro & obtestor, ut in Patriam redux, & hanc, & Patrem, & Patronos, quos ibidem habes, summos experiaris gratulantes. Vale, SCHLOSSERE optime, & sub continuandis pietatis haut fucatae amoribus, omnia TIBI optima divinitus promitte, tum etiam, benevolam ejus memoriam retine, quem & Venerandus Pater TUUS totumque inclytum Ministerium Ecclesiasticum Francofurtanum amore suo dignum aestimarunt. Scrib. VVitebergæ in Saxonibus D. XI. Febr. A. cl^o l^o cc xii.

n
e
i-
i-
n
i-
r-
il
d
i-
r-
e-
x
i-
,
r-
i-
i-
s
n
t.
r.
b
s
o
n
T

05H695


ULB Halle

3

004 228 731







B.I.G.

Farbkarte #13

40

I. N. 3.
DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE

SYMBIBASMO BIBLICO,

EX
Actuum Apostolicorum
IX. cap. com. 22.

QUAM
SUB PRÆSIDIO

VIRI MAGNIFICI ET SUMME REVERENDI
**DN. JOHANNIS HENRICI
FEVSTKINGII,**

SS. THEOL. DOCTORIS, EJUSDEMQUE P.P.
ORDINARI, CONSISTORII SACRI ASSESSORIS,
AUGUSTISSIMÆ ELECT. SAX. CONCIONATORIS AULICI
ET SERENISSIMI DUCIS SAXO-GOTHANI
CONSILIARIJ ECCLESIASTICI,

DN. PATRONI, HOSPITIS ET PROMOTORIS SUI,
ÆTATEM COLENDI, DEVENERANDI,

TUEBITUR
AUTOR

LUDOVICUS HENRICI

Darmstadio - Hassus.

AD DIEM X. FEBRUARII ANNI MDCC XII.

VITEMBERGÆ, LITERIS GERDESIANIS.

